

## DECIMVS TERTIVS.

maxima est huiusmodi deuia<sup>t</sup>io. Eo autem ab hoc situ recedente, pedeterrim minuitur, donec nulla fiet, sed tota superficies eccentrici in superficie eclipticæ situetur, dum scilicet epicycli centrum in altero nodorum fuerit. Inde uero recedens, iterum deuia<sup>t</sup>io eccentrici crescere incipit. In Venere quidem, ut dictum est, semper uersus septentrionem, in Mercurio autem uersus meridiem. Epicyclius uero hoc habet uarietatis in nodis, diameter eius per augem, & eius oppositum transiens, non in superficie deferentis est, sed ad eam inclinatur. In auge autem eccentrici atq; eius opposito tota illa diameter in superficie eccentrici sita est. Diameter uero epicycli orthogonalis ad dictum diametrum in eo situ, scilicet augis eccentrici aut eius oppositi, non in superficie eccentrici est, sed ab ea reflexione maxima separata in nodis, non modo in superficie eccentrici, uerum etiam in superficie eclipticæ situm sibi uendicat. Hanc speculationem si ampliorem cupias, introductos ad artem nostram libellos consule.

### PROPOSITIO III.

Nunc quantæ sint uniuersæ Veneris, & Mercurij latitudines discere, unde liquido singularum superficierum ad alias constabunt inclinationes.

Venus in auge epicycli aut eius opposto manens, comperitur habere latitudinem 10. mi. siue epicyclus ipse in auge eccentrici, siue in eius opposito fuerit constitutus. Mercurius 45. mi. Tanta igitur erit cuiuscq; eorum uia<sup>t</sup>io siue declinatio eccentrici ad superficiem eclipticæ. Nec mirari operet, quo pacto id considerandi sit potestas, cum uterq; eorū in auge epicycli manens aut in eius opposito, ne consideratori appareat, radius solaris impedimentum afferat. Dico equidem planetam non in his duobus obseruatum esse sitibus, sed in locis eis propinquis. Ita ut coniūcere possis, tantā accidere latitudinem planetæ in auge epicycli, aut eius opposito existente.

Præterea in locis memoratis eccentrici reflexiones differre compertum est in s. gr. In Venere quidem sine diuersitate sensibili in auge atq; eius opposito. In Mercurio autem differentia reflexionum in opposto augis eccentrici contingentium, super eas quæ in auge eccentrici accidunt, addunt medietatem gradus. Ita ut si mediocrem inter extremas reflexionum differentiam pensaberis, quinq; gra. quemadmodū Veneri, & nunc Mercurio uendabis. Hinc elicitur, maximam reflexionem alterius medietatum epicycli à superficie eccentrici esse ferè duorum graduum, & dimidij. Hæc enim reflexio duplicata quinq; gradus integrat. Angulum autem inclinationis superficie epicycli ad superficiem eccentrici paulo inferius elicemus. Tandem autem Veneris epicyclo in altero nodorum constituto, stella ipsa in epicycli auge existens, latitudinem ad utrumq; latus eclipticæ habuisse cernitur unius gradus, in opposito augis epicycli sex graduum, & tertiae unius gradus. Vnde concluditur angulum inclinationis superficie epicycli ad superficiem eccentrici in hoc situ continens duos gradus, & medietatem unius gradus. Si enim à centro mundi per centrum epicycli in hoc situ rectam duces lineam, quæ secet superficiem conuexam epicycli in duobus punctis, & à summo carum quocumq; uelis 2. gra. & dimidium numeraueris, duæ lineæ terminos huiusmodi arcus continuantes angulum in centro mundi continebunt, unius gra. ut quatuor recti sunt 360. Ab insimo uero puncto, si tan-

S iij tundem